

dam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutriendas, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minimè necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum Novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatae versioni Gallicæ Montenfi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sinè maxima perversitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpotè per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, autoritate Apostolicâ tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scripto, quàm typis editos, seu forsàn (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdiciamus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliæque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coërceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præsentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigil-